



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1843

DX. Withego, Bischof von Meißen, als Vormund der Söhne des Burggrafen
von Golfin, imgleichen die von Colditz, von Semftenberg, von Dahme, von
Wettin, von Borne und von Jhleburg, vereinigen sich zu ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56055)

DIX. Markgraf Woldemar von Brandenburg verzeiguet dem Nonnenkloster in Gaim vier Malter Getreide-Zinsen aus der Mühle daselbst, am 15. Mai 1318.

In nomine domini amen. Nos Woldemarus, dei gracia Brandenburgensis et Lufacie Marchio, recognoscimus publice per presentes, Quod propter deum pure animarumque nostre ac nostrorum progenitorum salutare remedium dedimus ac donatione sincera donamus proprietatem omnimodam quatuor maldrorum filiginis et brafei in Molendino Hayn, sito prope sanctam katherinam, deuotis in christo personis sanctimonialibus dicte Ciuitatis perpetuo cum omni iure, vtilitate et commodo possidendam. Renuntiantes dicte proprietati ac iuri, si quod nobis ad ipsam proprietatem seu maldra futuris posset competere temporibus, quoad nos, heredes nostros et quoslibet nostri dominij successores. Huius nostre donationis ac Renuntiationis testes sunt Honorandi viri Illustris Rodolfus Dux Saxonie noster avunculus dilectus, Woltherus Polwalccensis et Euerardus Stolpensis et segerus stendalgenfis prepositi, Johannes plebanus in Briezna, ghero plebanus in königelsberg. et hermannus de Luchowe, nostri capellani, Redeko de Redere, Heinricus de Schenkendorppe et Heinricus de Rochowe, milites, cum alijs fide dignis. In cuius testimonium nostrum sigillum presentibus est appensum. Actum et Datum Brandenburg, Anno domini M^o. CCC^o. Decimo Octauo, feria II. proxima Post Dominicam Jubilate.

Nach dem im R. Sächs. Ges. Archive in Dresden befindlichen Original.

DX. Withego, Bischof von Meissen, als Vormund der Söhne des Burggrafen von Golsin, imgleichen die von Colditz, von Senftenberg, von Dahme, von Wettin, von Borne und von Zhebürg, vereinigen sich zu einer Sühne über den Tod des Burggrafen, geloben dieselbe aufrecht zu erhalten, besonders auch vor dem Markgrafen von Brandenburg, den 16. Mai 1318.

Nos Withego, dei gratia ecclesie Misnensis episcopus, tutor puerorum olim nobilis uiri, domini Hermanni burgrauii de Golsyn; Henricus et Thimo fratres germani de Colditz; Johannes de Senftenberg, Richardus et Henricus de Dammis confratres, Otto de Wittyn cum fratre suo, Otto de Burnis et Otto de Ylbürg iunior cum suis fratribus, amici et consanguinei dictorum puerorum, tenore presentium recognoscimus et publice profiteamur, quod concordiam ueram et integram super morte et dammis, in persona prefati domini Hermanni burgrauii perpetratis, inter nos nomine dictorum puerorum et amicos et consanguineos eorundem ex una et reuerendum uirum dominum Vlricum abbatem et conventum in Dobriluc ac omnes, qui sunt suspecti de morte et rapinis predictis ex parte altera factam, promittimus bona fide et sine omni arte mali ratam et gratam ac inuiolabilem observare, nec contra eam aliquam per nos uel per alios de iure uel de facto aliquo tempore uenire, renunciantes per presentes omni iuri, quod

nobis et dictis pueris nunc et in posterum posset competere, de facto uel de iure pro morte et damnis predictis. Et nos Withigo, Misnensis ecclesie episcopus, tutor eorundem puerorum specialiter promittimus bona fide prefato domino Vlrico abbati et conventui suo pro dicta concordia stare et pro posse pro ipsa nos opponere contra omnem hominem eandem de iure uolentem impugnare coram domino nostro Woldemaro, Brandenburgensi, Lusatiae marchione, uel alio iudice legitimo quocumque, usque ad legitimam etatem pueri senioris inter predictos pueros, secundum marchionatus Lusatiae consuetudinem siue morem, quem tunc statuemus coram dicto domino marchione Woldemaro uel alio iudice legitimo ad obligandum se pro se et fratribus suis per suas patentes literas, quod prefatam concordiam bona fide et sine omni dolo ratam et gratam ac inuiolabilem obseruabit, nullo tempore per se uel alios seu alium uiolandam, quo facto ab obligatione predicta debemus et esse uolumus absoluti. Item tenore presentium recognoscimus, protestantes, quod dictus dominus Vlricus abbas et suus conuentus pro emenda de nece et damnis in predicto domino Hermanno buregrauio perpetratis sine consensu et iussu et uoluntate penitus eiusdem domini Vlrici abbatis et sui conuentus, dederunt et soluerunt nobis Witegoni episcopo Misnensi nomine dictorum puerorum trecentas et triginta sexagenas grossorum Pragensium monete in usum et utilitatem eorundem puerorum et non in aliud conuertendas. Nomine uero testamenti pro remedio anime eiusdem domini Hermanni buregrauii dictus dominus Vlricus abbas et suus conuentus in monasterio Dobrilug facient capellam de lateribus et in ea construent unum altare in loco, quem ipsis nos W. ostendemus, in quo dicti domini Hermanni buregrauii memoria perpetua debet haberi. Nomen etiam ipsius in nostrorum rotulo conscribetur mortuorum et suo tempore in capitulo recitabitur, ubi tunc pro eius anima fratribus dicenda iniungetur oratio specialis. Insuper totius ordinis Cisterciensis fraternitatem eius anime procurabit, ut particeps sit omnium bonorum actuum in missis, uigiliis, elemosinis, que in eodem ordine solent fieri iugiter pro defunctis. Sed et uxori eiusdem domini Hermanni ac suis liberis uniuersis prefati ordinis plenarium participium bonorum operum ordinabit, ut omnium consortes sint in uita pariter et in morte. Acta sunt hec anno domini M. CCC. XVIII. proxima quarta feria post dominicam qua cantatur iubilate. Testes huius rei sunt dominus Johannes de Landesberg, Guntherus de Tzynnitz, Conradus de Opin, milites; famuli sunt Nicolaus de Battanftorp, Fridericus de Grunrode; necnon dominus Conradus prepositus in Damis, dominus Guntherus plebanus in Kirchhain, Johannes dictus de Schakow, plebanus in Sonnenwalde, et alii quam plures fide digni. In cuius rei testimonium presentem literam conscribi fecimus ac nostris sigillis duximus roborandam. — *Nachschrift des Copisten*: Sigillum episcopi inuenies supra. Secundum sigillum habet clipeum cum dimidio leone, infra quem sunt quidam tractus inclinati et est eius superscriptio S. Timonis de Colditz. Tertium habet formam clipei cum tribus magnis rosis. Quartum est illorum de Ylburg, sed circumscriptio quarti talis est S. Johannis de Landisberg.

Nach Ludewig, Reliqu. manuscript. I., 279 (mit einer deutschen Version S. 282) und Hoffmann, Script. rer. Siles. IV, 185